



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Epistola VI. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

cupio, cui primùm occurrens huc venienti,  
 committi. Sit Dominus Tecum, ut esse me-  
 cum eum opto. Vale. Livare ix. Kal. Majas  
 An. CIÖIOXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

EPISTOLA VI.

EIDEM.

**C**arissime in Christo Frater. Hoc primo  
 die Mensis Maij accepi literas à te,  
 quarum me lectio quàm delectaverit, nun-  
 quam satis possem exprimere scribendo.  
 Ægrotaveram hisce diebus quatuor aut quin-  
 que febre ardens continuâ, eo spatio tem-  
 poris bis mihi secta vena est. nunc Dei be-  
 neficio melius valeo. quin ipsam penè me-  
 moriam præteriti languoris, præsens ex fau-  
 stis de te nuncijs lætitia delevit. Itaque  
 spero, Deo juvante, iturum me ad te Pu-  
 nicalem hebdomadâ sequenti. Pulam Tra-  
 vancoris hodie aut cras manè omninò ven-  
 turum credebamus. Cum isthuc advenero,  
 quæ



quæ cum illo transfegerimus, ex me audies. Faciat utinam Deus Dominus Noster ut inde aliquid existat quo ejus obsequium promoveamus. P. Franciscus Coëlius mittit ad vos Galeros duos. Propediem ut dixi acturus tecum coram, quod his literis addam aliud non habeo, nisi consuetum votum; ut Deus Dominus Noster dignetur adesse nobis suâ gratiâ, cujus ope ipsi fideliter serviamus. Vale. Nare, Kal. Maij, An. CIOIOXLIV.

Tuus Amantissimus in Christo Frater.

*Franciscus.*

EPISTOLA VII.

EIDEM.

**C**arissime in Christo Frater. Scit; quem nihil latet, Deus, quanto libentiùs aliquot tecum dies exigere, quam pari spatio Tutucurini detinerer. Sed quoniam hic mihi necessaria ista mora est componendis quibusdam controversijs quæ Gentem, hanc periculosissimè inter se jurgijs committunt, Te pariter & me convenit optatam utrique

COR-